

Carium cranii memorabili exemplo et medica exegesei tractatam / ... pro loco ... publicae ... disquisitioni ... sistit Jo. Hadrianus Slevogtius.

Contributors

Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.

Publication/Creation

Jenae : Literis Jo. Zach. Nisii, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f8mzq4ne>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

CARIEM CRANII

MEMORABILI EXEMPLO

ET

MEDICA ΕΞΗΓΗΣΕΙ

TRACTATAM

DIVINIS AVSPICIIS

EX

DECRETO ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ

PRO LOCO

IN EADEM RITV MAIORVM OBTINENDO

publica eruditorum disquisitioni

IN AUDITORIO MEDICO

sistit

IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS

MED. DOCT. P. P. ORDINARIVS


MEDICVS DVC. PROVINC. ET CIVIT.

PATR. PHYSICVS

Ad. d. xxvii. Maji cio 1795 xcv.

IENAE

LITERIS IO. ZACH. NISI



SERENISSIMIS

*SAXONIÆ, JULIACI,
CLIVIÆ AC MONTIVM, ITEM-
QVE ANGARIÆ AC VVESTPHALIÆ
DVCIBVS, LANDGRAVIIS THVRIN-
GIÆ, MARCHIONIBVS MISNIÆ, CO-
MITIBVS PRINCIPALI DIGNITATE
HENNEBERGIÆ, COMITIBVS MARCÆ
ET RAVENSBERGI, RESPECTIVE SAYN
ET VVITGENSTEIN, DYNASTIS IN
RAVENSTEIN ET RESPECTIVE
TONNA &c.*

ILLVSTRIS AD SALAM

ACADEMIÆ

NVTRITORIBVS

MVNIFICENTISSIMIS

PRINCIPIBVS AC DOMINIS

MEIS CLEMENTISSIMIS

PRIMITIAS HASCE

OFFICII PROFESSORII

IN HUMILLIMÆ OBSERVANTIÆ

ET

DEBITÆ GRATITVDINIS

TESTIMONIUM

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS,

D. ET P. P.



L. D. B. V.

HISTORIA.

Duer octo annorum, temperamenti laudabilis, & floridi corporis habitus die 15. Sept. anni 1689, in vicina urbe mane scholam petens, ab immaturo piro, ex alto in dextrum sin-
ciput projecto, caligine oculorum & ver-
tiginē correptus concidebat, & a bono domum deporta-
batur; ubi sine sensu, usque ad meridiem, jacens, tandem
post repetitam evomitionem jentaculi, & multæ bilis, vocalis
iterum redditus, manu locum læsum monstrabat, & de
insigni dolore capitis conquerebatur: Cumque dextrum sin-
ciput & vertex admodum intumescerent, nec vinum cali-
dam, cum butyro & duplicato linteo adbibitum, sufficere
videretur, c. chirurgus cura agroti demandabatur. Hic,
quod cutem integram cerneret, superimposito emplastro,
plagam nullius momenti esse pronuntiabat, nec diætæ cu-
riosus, de aeris aut victus decente usurpatione quicquam
precipiebat. Imo cum, mense dimidio elapso, per lanceo-
lam puri, sub cute latenti, exitum pararet, istudque satis
coctum efflueret, presentibus signis læsi cranii, dolore con-
tinuo pulsante, stupore, masticandi difficultate, appetitu
debili, somno turbulento; spem tamen parentibus facere,

audebat, intra octiduum curationi suam impositum iri. Sed irrito successu: quippe, utut quotidie tam per modo memoratum, arte factum, vulnus, quam per aliud novum, non longe ab isto, sponte natum foramen, haud parum crudi liquaminis excerneretur, non tamen tumor inde subsidebat, sed ultra principium quinti mensis perdurabat, & tandem ne levisimum contactum quidem, sine magno dolore admittebat. Cujus mora parentes & agnati impatientes, postquam reliquorum chirurgorum istius loci, perverse curationis tristem exitum subolentium, majoremque existimationis suae, quam caritatis erga proximum, rationem habentium, fores frustra pulsassent; die 21. Januarii, anni 90, puerum huc ad avunculum suum, Daniele Mannum, optimae notae chirurgum, deducebant, a quo ego in consilium accitus, in dextro sincipite, juxta suturam sagittalem, duo ulcuscula lentiformia, & dimidium pollicem a se invicem distantia deprehendebam. Haec ichore plena erant, quem ad singulos cordis pulsus modice subsultantem cernebam; cumque totus ambitus ultra suturam coronalem, atque $\lambda\alpha\mu\beta\delta\epsilon\sigma\epsilon\iota\delta\eta\nu$, elatior esset, & tangenti fungosus intusque cavus videretur, ac insuper leniter pressus, cum ejulatu aegri, praedictum ichorem ex ambobus ostiis emitteret; non sine ratione cranium subtus corruptum esse, & sine mora detegendum statuebam. Praemisso igitur leni evacuante, d. 23. explorata per specillum ulceris profunditate, & demtis forfice capillis, per decussatim factam sectionem ex cute copiosus sanguis niger propullulabat. Vulnere lege artis deligato, & quae circa diatam, internaque remedia necessaria videbantur, rite dispositis, statim sequente die illud labia, multo quam antea, graciliora habebat; cumque tertium religaretur, portionem tabulae crani

nii superioris, a reliquo osse soluta, in fundo gerebat, & crassitie papirum, foraminibus cribrum, ambituque schema I. exhibebat. Hac sublata, medullosa calvaria substantia nuda, vitrea vero tabula exiguo foramine pertusa apparebat, ex quo tenuis flavescens liquor, juxta rythmum vasorum dura matris pulsantium, expellebatur. Manifesto indicio, intra cranium rem minime salvam esse, & hoc liquamen, quod maxima sui parte nutrimentum calvarie fuerat, ex erosis tubulis stillando, a vicinis humoribus corruptis characterem vitiosum contraxisse. Cum itaque curationem solertem, atque industriam operam deponci palam fieret, haud contemnenda simul prosperi successus fiducia nascebatur, quod nec ulceris conditio adeo mali moris, nec corries ossis insuperabilis videretur, nec circa principes functiones aliquid magna formidine dignum extaret; sensim, redeuntibus quiete, comedenti desiderio, masticatione expeditiore, animique alacritate: unica tussi excepta, quae cum insigni violentia & molestissimo capitis dolore, tribus abhinc hebdomadis tenellum corpus concusserat.

Verum obstabat inemendabilis agri, ex puerili appositione rūs diabolica fluens morositas; dum dolorum, in prima sectione perpefforum memor, neque blanditiis, neque minis permoveri poterat, ut a clamore & corporis jactatione, quae chirurgi operationes turbabat, & vix ac ne vix quidem ulceris deterstonem concedebat, desisteret. Accedebat inepta agnatorum misericordia, qui fletu pueri commoti, jam omnem ferri usum detestabantur, nec misellum ulteriori cruciatui, ita vocabant sculpturam cranii, committere volebant: mori satius esse reputantes, quam tot ferramentorum crudelitatem in vivo corpore experiri.

Quibus rebus fiebat, ut post imprudentem cunctatio-

nem, tandem, penitus absumta magna cranii parte, medio Februarii, dura mater per foramina A & B, in secunda & tertia figura notata, nuda in conspectum veniret, & curioso spectaculo tres distinctos motus, cordis pulsui, respirationi & tussi respondentes exhiberet. Cum autem interim, novus tumor in occipite suboriretur, & ad educendam putrilaginem ferro uti prohiberetur, d. 16. per potentiale cauterium eum aperire reliquum erat. D. 20. Puer solito somnolentior fiebat, & sensim p. n. calere incipiebat, cessabat appetitus, viresque imminuebantur sensibiliter, donec d. 25, 26, 27 & 28. aucta dormiendi libidine, quam crebri pavores comitabantur, febriliter caleret, & aut plane non, aut incongrue ad quaesita responderet, dieque 1. Martii fati cederet.

Cranium resectum quatuor in locis perforatum visebatur, & in concava sui parte, ubi late serpens caries magnam interioris lamina partem absumserat, mucore albo & inequali superficie prae dito, oblitum erat; quo cum etiam, dura mater, quousque ab arroso osse adhuc tecta erat; ad straminis crassitiem obducta esset, primo intuitu pene eam hoc loco exulceratam dixissemus: Sed accuratiori examine adhibito, adhuc integra, omnisque lesionis expers inveniebatur. Magma autem huic & cranio, unde deciderat, adhaerens, armato oculo innumerorum vermiculorum, lento humori implicatorum, congeries apparebat; quorum multi, aqua tepida injecti, motitatione sua vitalitatis indicia cedebant. Vasa meningis ad rupturam atro sanguine turgabant, & candicans alias cerebri substantia rosea fere & spississimis punctis rubris conferta videbatur. Ventriculi flavo sero distenti erant, quod, quamprimum illi cultri apice vulnerabantur, cum impetu profusiebat.

§. I.

Talis fuit lamentabilis vitæ terminus pueri optimi, cui longioris vitæ usuram ars promittebat, si & in tempore convenientia remedia adhibita fuissent, & cum eadem postmodum adhiberentur, æger non minus quam adstantes, ad monitum Hippocratis, *ἑωυτὰς παρέχειν τὰ δέοντα ποίεοντες* decrevissent.

§. II. Cum vero, ut vulgata fert sententia, *dimidium curationis cognitio morbi absolvat*; & statim in principio, quæ a divino Sene, ejusque sectatore Celso, ad diagnosin rite formandam præcipiuntur, obiter habita fuerint, mirum non est, hinc infidam prognosin, erroneamque curationem originem traxisse.

§. III. Ut igitur, quam promptum fuerit hunc lapsum evitare, ostendamus, ea quæ Artis Parens, in aureo de *capitis vulneribus* libello, Celsusque passim præstantissima proponunt monita, ita præsentis circumstantiarum seriei applicabimus, ut primo omnium *ad subjectum*, deinde *ad locum affectum*, postmodum *ad instrumentum*, ceu causam, *modumque ledendi*, & denique ad *παρακολληθῆσιαις*, in ægro emergentes, animum adhibeamus; quibus ultimo prognoseos ergo, *tempus anni* quoque subjungemus.

§. IV. Subjecto merito hic primas deferimus, quia ejus cognitio adeo necessaria est, ut nisi de eo constet, indagatio *indicationum* frustranea, *indicantium* dignotio impossibilis, *indicatorum* applicatio autem inepta ac prorsus cœca existere soleat.

§. V. Quod nostrum attinet, ne ex ætate puerili

& laudata corporis *ευεξία* prior chirurgus oscitantia suæ excusationem petat; quasi vero, cum Celsus puerorum & adolescentium vulnera citius sanari statuat, præsentem insuper in nostro humorum *ευκρασία*, a mediocri ejusmodi læsione, per *pirum*, & sine sanguine facta, non adeo facilis pravorum symptomatum *ἐπιγένεσις* metuenda fuerit: Sciendum est, Celsum *lib. 5. c. 26. p. 302.* eatenus tantum recentiori florentique ætati promptiorem reconvalescentiam spondere, quatenus illa senio, humorum balsamica dulcedine & *γλυχρότητι*, calidique nativi vigore destituito opponitur. Deinde neminem latere putamus quam pronum in febres ac putredines sanguineorum temperamentum existat, & quam exquisito tenera puerilium nervorum compages, ad leves vellicationes, sensu polleat, dolorumque impatientissima sit. Ut taceam, effato *magni Æsculapii* Lycei hujus, ut Imperatori & Medico, ita & Chirurgus turpe esse, dicere: *Non put aram.*

§. VI. Secunda consideratio locum affectum concernit, caput scilicet, regionem corporis nobilissimam; Et sicut nec minimas hujus læsiones contemni debere, unanimis peritorum vox est; ita quæ ossi sincipitis atque futuris accidunt, periculosissimas esse, post Hippocratem receptissima in scholis medentium opinio fuit.

§. VII. Os vero aut fissum aut fractum fuisse, ipsamque futuram labem accepisse, tria potissimum argumenta probabile reddunt; Horum primum partium harum constitutio suppeditat: *Universi enim, inquit Hipp. l. c. text. 3. capitis os tenuissimum ac debilissimum est, quod circa sinciput, & carnem paucissimam ac tenuissimam hac parte os super seipso habet. & text. 15 Proclive est os circa futuram rumpi ac dissolvi, propter ossis hac parte debilita-*

bilitatem & raritatem, & propterea, quod parata sit sutura, ut rumpatur ac dissolvatur: nam reliqua ossa, suturam ambientia, ruptionis exortia manere possunt, eo quod robustiora sunt, quam sutura.

§. VIII. Nec obstat, aut effugiendi ansam imperito homini & excusationem parit, quod juniorum crania, præ adultis, singulari privilegio gaudeant, ut cum mollitie simul tenacia existant, & duriori corpori allisa cedant, *Ἰλασιν* potius, quam fissuram aut fracturam patientia. a qua etiam ut restituantur, non æque cutis dissectione & vectibus, aut operosis elevatoriis monopodibus, bipodibus tripodibusque opus habeant; sed vel per suctum, ad modum antiquatæ scarificationis, vel per cucurbitam cum multa flammâ, aut enchiresin Hildanianam, emplastrum scil. firmiter affixum, subitoque iterum, beneficio funiculi abstractum, ad naturalem statum reducantur: imo quod sponte, & sine artis ope, nonnunquam eleventur. Cujus phænomeni exemplum ante aliquot annos heic loci me vidisse memini: cum enim puer quinquennis ex fenestra in aquæ ductus marginem præcipitatus, insignem foveam in sinistro sincipite reportaret, & *ἀναίδητος*, morientique similis, *πορχαίζων* jaceret, locus depressus autem cum sacculis cephalicis & vino calido foveretur, paulo post, me atque chirurgo præsentem, vi excitatæ stertutationis, sensim resurgente cranio, vocem & sensum recuperabat.

§. IX. Verum sicut hæc omnia verissima sunt, ita nihilominus juniorum calvarias etiam frangi posse, certissimum est; quin & hoc insuper vitii habent, ut non solum, ceu reliqua ossa fracta, *nisi succursum est*, verbis Celsi, lib. 8. c. 4. *gravibus inflammationibus afficiantur, difficiliusque postmodum tractentur*: sed etiam non fracta, dum secundum

dum text. 25. l. c. Hipp τῶν παιδίων τὰ ἔσχα ἐνομιότεργά ἐσι, *puerorum ossa magis sanguinolenta sunt*, ut ex nostri, post mortem & aliquot annorum decursum, adhuc rubella calvaria cognoscere datur; ideo καὶ μάλλον καὶ θάσσον ὑποπιῖσκται, *magis ac citius supparantur*. Sicubi scilicet, contra apertam Hippocratis doctrinam, text. 22. *ulcus carnis ambientis non statim repurgatum, & ad siccitatis statum reductum fuerit; sed diu, (hoc loco ultra quadrimestre) humidum & putrescens relictum manserit.*

§. X. Alterum cranii læsionem suspicandi argumentum instrumentum lædens offert, de quo Hippocrates text. 14. *Profecto ex telis maxime os rumpunt & manifestis & obscuris fissuris, & intro cedere faciunt, quæ sunt rotunda, orbicularia & obtusa & gravia & dura.* Tale autem pirum immaturum fuisse, vero simillimum est; imprimis cum lædendi modus accesserit singularis. per hunc enim, quod ἀπὸ ὑψιλοτάτης, *ex altissimo descendit, & ἐξ ἰθὺ, è directo caput petit*, vi textus 13. *μάλιστέ γε ταῦτα πάχειν τὸ ἐσθὲν κινδυνός ἐσι, maxime sane, ut hoc os patiatur, periculum est.*

§. XI. Restat tertium argumentum, ex iis, quæ ictum secuta sunt, symptomatis depromendum. De his post Hipp. Celsus lib. 8. c. 4. p. 545, ita loquitur: *Vbi calvaria percussa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit; num ceciderit; num sine sensu, quasi dormiens jacuerit? Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt.*

§. XII. Licet autem assertio hæc, de eo tantum, quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον fieri solet, accipi debeat; quatenus læsioni cranii ordinariæ quidem hæc & similia phænomena,

na, dolor v. g. masticatio impedita &c. superveniunt; nec viceversa tamen ex præsentia eorum omnium indubitanter de rupto osse pronunciare licet: in nostro certe ipse effectus, enormis ista caries, sinciput ab initio statim, una cum futura, fissum fuisse, testari potest. Inde enim evenit, ut portio, quæ d. 24. Januarii de superiori tabula recessit, mox in primo ictu, per conquassationem ad insequentem separationem disposita, intus vero integra pene futura successivæ consumptioni subjecta fuerit, quia in hac, ceu magis succulenta, prima sanguinis stagnatio atque corruptio sedem habuit.

§. XIII. Hæc de diagnosi: quæ cum fundamento caruerit, necessario infidam prognosin post se trahere debuit; cum tamen eam rationi & effectui conformem reddere facile fuisset, modo, quæ Hipp. clarissimis verbis de tenera & putredini obnoxia textura craniorum puerilium docet, chirurgus cum læsionis organo, & inde ortis incommodis comparasset; sique porro ex text. 3. l. c. *Contusiones & ruptiones sincipitis, ob cerebrum plurimum ibi subsistens, lethaliiores, ac ad curandum & effugiendam, mortem difficiliiores existere didicisset*: Si præter hæc ad tempus autumnale ac hybernale respexisset, quod *capitibus læsis* Celsus l. 5. c. 26. aliique veterum *perhiciosissimum judicarunt*; si acerbissimis, vereque ulcerosis miselli doloribus indoluisset: Si denique ad ea, quæ oculis cerne re, manibusque palpare poterat, animum advertisset: tunc ex stabili loci affecti tumore, continuum affluxum & *σάσιον* p. n. sanguinis; ex nova, eaque spontanea cutis perforatione, magnam humorum acrimoniam, ex putredine conceptam; ex vulneris tamdiu frustra tentata consolidatione, & crudi liquaminis excretionem, ossis corruptionem,

nem, semper & usque ulceris sanationem impredientem; ex motu denique ichoris, pulsui arteriarum concordante, cranii profundissimam læsionem conclusisset; nec proinde restitutionem ægri, ut in principio garriverat, *octo dierum opus* statuisset; sed potius cum Celso, l. 8. c. 4. p. 545. *Hæc non nisi osse fracto evenire, & ubi inciderunt, necessariam quidem, sed difficilem esse curationem pronunciasset.*

§. XIV. Tantum etiam de prognosi: cui jam curationem quoque apponere par esset, si, præter emplastri atque lanceolæ nomen, quicquam de ea nobis innotuisset. Ut tamen, ubi istam ratio defecerit, pateat, breviter, qua methodo a nobis ulcus tractatum sit, exponere, ordineque, non quidem *ἱστορικῶς*, sed tumultuario, prout scilicet historiæ decursus sese obtulit, recensere animus est.

§. XV. Antequam aliquid tentaretur, opportunum videbatur, leni laxante primas vias expurgare. Quod etsi Overkampio aliisque neotericis superfluum videatur, sua tamen utilitate non caret. Deinde cum capillorum remotio tam ad dignotionem loci affecti accuratiorem, quam ad aptiorem remediorum applicationem, perquam necessaria esset, nec tamen acerbissimus dolor in rubella, & ab expansione fibrarum fungosa reddita cute, novaculæ rasuram admitteret, forcice eos chirurgus refecare cogebatur.

§. XVI. Circa explorationem profunditatis dubium nascebatur; cum enim styli beneficio, quousque cultri acies adigenda esset metiremur, & ille in duro corpore subsisteret, nec statim ad duram matrem descenderet, cranium integrum, nec, uti ex adeo manifesto ichoris sub-

sultu

sultu conjiciebamus, perforatum esse mirabamur. Cumque sequente die post exemptam portionem tabulae superioris, passim foraminulis scatentem, quae stylum heri exceperat, conjecturam nostram omnino fundamentum habuisse cerneremus, experientia convicti, specillum non omnis erroris expers esse concludebamus; quamvis Hippocrates atque Celsus hoc, ceu fide dignum testem laudent, qui an vulnus aut caries in osse adhuc sedem habeat, an vero istud penetrarit, perspicue doceat.

§. XVII. Detecta itaque plagae altitudine, restabat, ut cutis ad cranium usque, & quidem decussatim disseccaretur; cum & ulceris cavitas latensque caries sectionem indicarent, locusque affectus eam permetteret, & Hippocrates Celsusque postularent. Sectionem indicari patebat ex textu 18, l. c. *Ulceræ, quæ non habent sufficientem magnitudinem longitudinis ac latitudinis, ad ossis inspectionem, an quid mali passum sit a telo, & quale id passum sit, & quantum caro contusa est, & quantum ossis lesionem habet: & rursus, an illesum sit os a telo, & nihil mali passum sit: & ad curationem, quali nam opus habeat ulcus, & caro, & ossis affectio, τὰ δὴ τοιαῦτα τῶν ἐλκῶν τοιούτῃ δέονται, talia sane ulcera sectione opus habent.* Permitti autem sectionem ex text. 19. disciebamus, quia omnes partes eam sustinent, præter tempora & venam, quæ super tempora fertur, nec, Celso teste, magno negotio cutis sanescit, etiamsi frustra secetur. In specie vero a Celso sectio, quæ ex duabus transversis lineis litera X figuram accipit, commendabatur, ut deinde a singulis præcedentibus angulis cutis subssecetur.

§. XVIII. Cutis aperta uncialis crassitudinis deprehendebatur, & faciem uteri dissecti, cum ultimis men-

sibus instar spongiæ sanguine turgere solet, repræsentabat. Sanguinem per moram inspissatum & hinc nigriorem apparentem, utut affatim efflueret, reprimere inconsultum ducentes, nec monitum Celsi, qui p. 548. *sanguinem, inter secandum effluentem, spongia, subinde in aceto* (huic regioni minus conveniente) *tincta, cobibendum objectisque linamentis occupandum* esse scribit, observare; nec reliqua *ἐναρμια, ἰχθυια καὶ σπυρνια* remedia in usum vocare poteramus: Cum enim partem sectam, alias minus succulentam esse, & per se non admodum sanguine abundare, sed per frequentem vociferationem sursum protrusum, nunc p. n. tam copiosum possidere crederemus: idcirco leniter labia vulneris demulcendo, exitum ejus promovendum potius, quam retardandum, putabamus.

§. XIX. Vulneri balsamum chirurgi ex myrrha, mumia, aloe, sangv. draconis, mastiche, sarcocolla, melle rosaceo atque rutaceo concinnatum, carptoque linteo exceptum imponebatur, cum labia prius \odot chamom. rosac. mastichin. anethin. quibus modicum \odot philosophor. & ceræ rectific. admixtum erat, unctæ essent; mox emplastrum sticticum Croll. & de betonica applicabatur, quod aliud latius, defensivum dictum, tegebat; tandem saccus latus, fol. beton. rut. scord. rosmar. salv. veron. organ. flor. rosar. melilot. stoechad. arab. & baccis lauri, gr. m. concis. & contus. impletus, vinoque ad tolerantiam ægri calido, madens, reliqua omnia amplectebatur, quem fascia per multiplicem circumductionem in sede sua confirmabat.

§. XX. Studio integrum apparatus recensere volui, ut pateat, solum emplastrum, cujuscunque bonitatis
 etiam

etiam illud primi chirurgi fuerit, minime sufficiens fuisse. Accuratius enim caput custodiendum est, talibusque munimentis utendum, quæ non aëris accessum solum arcent, sed virtute insuper sua nervina resolvente, & balsamica roborant, *σαρῶν* humorum præcavent ac tollunt, corruptionique resistunt. Hujus indolis sunt dicta remedia, inter quæ sacculus non infimum locum meretur: talibusque hodie a nostris chirurgis indies gravissimæ capitis læsiones corriguntur, quæ olim sectionibus, ustionibus, scalpturis, terebrationibus, aliisque horribilibus operationibus opus habebant.

§. XXI. Pro interno usu Ess. traumat. ill. Wed. c. Ess. lign. aloes, anod, El. propr. f. acido mixta, pulvis item oc. \mathfrak{z} cinnab. Hung, corall. medull. saxor. \mathfrak{z} d. rad. pœon. sperm. cet. offerebantur, & de liquido non minus, quam sicco medicamento bis quotidie guttæ 15. scrupulusque dimidius, vel grana 12. porrigebantur. Ne vero uniformia medicamenta fastidium parerent, modo pulveres cum aquis destillatis extractis atque sirubis appropriatis in potiunculas, usus tempore concutiendas, mutabantur, modo decocta rad. rubiæ, chinæ, liquirit. symphyt. herb. scab. millefol. agrimon. plantag. parabantur. Omnia eo fine, ut si sanguini aliquid peregrini inesset, istud emendaretur, tussique, ab irritatione duræ matris magis, quam pectoris vitio ortæ, *παρέργως* prospiceretur.

§. XXII. Et quia, maximo errore, diætæ moderamen in principio plane neglectum erat, in cibo & potu acida, falsa, acria, spirituosa, vetabantur, ne scilicet vitium, chylo impressum, in sanguinem redundans, ulceris gravitatem exasperaret. Inprimis autem aër tepidus ac quies commendabantur, ne scil. a frigore *σαρῶν*, ab æstu

fornacis vero nimio fusio humoribus induceretur, nec etiam a motu corporis, risu, sermone claro, æger tussim & capitis concussionem dolentissimam pati cogeretur.

§. XXIII. Quæ si cuncta rite observata fuissent, nec ægro sæpissime, brumali tempore, per plateam ambulare, & cibis insuper omnis generis uti, vinumque sorbillare, blanda agnatorum indulgentia permisisset; sed contra ea hi ipsi, sub deligatione ulceris flente puero, non tam collacrymassent, quam fortiter potius præhenso refractarii capite, operanti chirurgo adstitissent; tunc non solum, cum lamella cribriformis separaretur, ampliatio magis ulcere, cariota cranii regio scalpro ad sani ossis apparitionem excindi, complanari, & hoc modo ad suscipiendam novam carnem aptari, ulcusque feliciter atque perfecte percurari potuisset: sed postmodum etiam, cum jam per protractum reluctandi *κρίσηδες* ingens intra cranium exesum porta pateret, haud omnino nulla ægrum conservandi spes affulgebat; quia & signa quædam, inter salutaria a Celso relata, *meningis* scil. *bonus color, hujusque & cervicis ac maxilla liber motus, febris quoque absentia & mentis integritas* supererant, & nunc τὸν μενιγγοφύλακα commodè immittere ac sectione omne cariosum ad sani ossis margines auferre licebat.

§. XXIV. Quæ omnia eo feliciter in nostro processissent, quo meliori corporis temperamento cæteroquin is pollebat. Hujus enim ope fiebat, ut simul ac die 23. per sectionem cutis a superfluis humoribus liberaretur, ulcusque dilataretur, & duræ matri ab imminente ichore per vitreæ tabulæ foramen sese purgandi commodior via concederetur, statim dolor remitteret, & a doloris ces-

cessatione quies, a quiete autem ventriculo vigor red-
deretur.

§. XXV. Verum enim vero cum nec sanioribus
consiliis aures adstantium paterent, nec a tristi prognostico
eorum animi terrerentur, aucta tandem in cerebro mole
fanginis ac feri, quam nec vesicatoria extrahere, nec a-
lia interna externaque remedia resolvere, atque diverte-
re poterant, lethalis torpor spiritibus imprimebatur; do-
nec per lethargicum soporem miser somni fratri tradere-
tur, ubi-

*ipsi, cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetuo una dormienda.*

§. XXVI. Commoda hic de causis lethargi & cur
æger non motibus convulsivis potius, ut alii similiter af-
fecti solent, perierit; cur item terminum vitæ, ab Hippo-
crate hoc modo vulneratis definitum, longe superarit,
differendi occasio esset: cui etiam æthiologia cariei ver-
minosa, pluraque alia addi possent: sed quia ista per-
sequi, præsens instituti, merum historiæ examen concer-
nentis, negotiorumque ratio prohibet, reliqua alio
tempore exponenda silentio præterire
placet.

SOLI DEO GLORIA!

Fig. 1. est lamina ossea tenuis & perforata, portio scil. tabulæ exterioris cranii, a reliquo osse per cariem separata.

Fig. 2. exhibet exteriorem faciem cranii.

A. Est primum foramen majus, a quo præcedens lamina ablata fuit, quod cum B postmodum in unum foramen coalescebat.

B. alterum foramen majus.

CC. duo alia foramina minora.

DDD. futura sagittalis prorsus corrupta.

E. futura coronalis.

F. futura lambdoides.

G. officulum Wormianum.

aaa. loca cariosa in extima superficie.

bbbbbb. ostiola vasorum sanguiferorum, calvariam penetrantium.

Fig. 3. representat cranii faciem internam.

A, B, CC. sunt quatuor foramina.

DD, E, F. futura sagittalis, coronalis & lambdoides.

G. officuli Wormiani facies interior.

aaaaaa. peripheria cariei, quæ os partim penitus consumserat, partim admodum asperum & tenue reddiderat.

bbbbbb. vestigia ramificationum vasorum duræ matris, ossi impressa.



